

*Ars poet. lat. (Vol.) 113.*

DE COMMODA  
IUVENES POESI LATINA INSTITVENDI  
RATIONE

COMMENTATIO SECVNDA

QVA AD

IUVENVM ORATIONES

D. XXII. APRIL, MDCCCXCVI

BENEVOLE AVDIENDAS

OFFICIOSISSIME ATQVE HVMANISSIME

INVITAT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE

A. M. SCHOLAE DRESD. CRVC. RECTOR.



---

DRESDAE,

LITERIS HARPETERIANIS.

Aesthet.

102,22.

*59,25.*

DE COMMODA  
INVENIUNT ORATIONES  
D. X. M. A. P. L. C. O. S. T. A. N. N. I.  
RENEVOB. A. D. M. D. C. C. L. I. I. I.  
CHRISTIANVS FRIDERICVS OLFPE  
A. M. SCHOLLE DRSD. CIVIC. REGTOR.

DRSDAE  
LITTERIS HEREDITARIIS




**L**euissima fuerunt, quae priori commentatione de commoda iuuenes  
poesi latina instituendi ratione monuimus, nec tamen omittenda,  
quod, sicut in caeteris artibus ac disciplinis, minora sunt maioribus prae-  
struenda. Quam igitur ingressi sumus, viam ducimus continuandam, ad  
maiora deinde progressuri.

Eo si peruenerint iuuenes, ut versibus in ordinem redigendis nihil  
peccent, pensa ex poeta *facili ac terso*, \*) deprompta calamo excipiant, in  
quorum hexametro ac pentametro voces quaedam omissae sunt, quaedam  
commutatae, ita tamen, ut vocibus omissis nihil turbetur sensus, in com-  
mutatis dictio poetica seruetur. Ita vero praeceptor in his exercitationi-  
bus versetur cum discipulis, ut horum operae adiungat suam, eosque ma-  
nu quasi ad ea, quae ipsi non reperiant, adducat. Particulas omissas vel  
mutatas facile diuinabunt tirones linguae latinae non prorsus expertes, vo-  
ces apponendas phrasisque commutandas videbunt, qui syllabas in prom-

) ( a

tu

\*) Tales sunt ex recentioribus poetis Eobanus Hessus, Georgius Buchananus,  
Georgius Fabricius, Georgius Sabinus, Petrus Lotichius Secundus, Ioannes  
Stigelius, Sidronius Hofchius, Henricus Smetius, Iacobus Wallius, Guiliel-  
mus Becanus, Daniel Heinsius, alii, quos recensere mora est.




tu habent atque ad metrum componunt; sed idoneas, easque poeticas, follerti poetarum lectione destituti, afferre vix poterunt. Itaque laborantibus succurrat praeceptor. Quae metro respondeant, voces addendas, voces phrasisque commutandas adducat varias, easdemque tum poeticas, tum prosaicas; iubeat discipulos aptas eligere. Qui si arripuerint vel a re alienas, vel nimis tenues poetisque haud sollemnes, digito monstret accommodatiores, neque tamen semper in his subsistat folis, quas habet poeta pensum propinatum exhibens, ne vincula iniiciat ingeniis. Talibus in arte poetica exercitationibus per aliquod tempus adiuti a magistro, qui artis diuinae igniculos aliquos sentiunt, iuuenes mox pensa eiusmodi, suo Marte, parum peccantes absoluent.

His rudimentis imbuti, viam aliquam ad maiora transeundi, sed non satis apertam et patefactam, non satis munitam, prospicient. Quamuis in quibusdam cum oratione soluta et metri legibus non adstricta conueniat ligata poeticisque numeris et artibus non attemperata; quamuis varii generis prosaici scriptores poetae multum profint, certe possint prodesse: Tanto tamen interuallo et spatio discreti sunt ab arte et habitu poetarum, hi vt lingua sibi tantum propria et peculiari vtantur. Dictiones, conuersiones, variationes et mille artes poeticas intelligat, qui materiam poeticam sibi dictitatum carmine felici reddere, vel ab se inuentam ita elaborare, ita inuestire atque exornare cupit, vt specimen artem diuinam spirans iudicium ferat peritorum. *Principibus placuisse viris non vltima laus est*, imperitis, nulla. Priusquam igitur ad carmen aliquod componendum se conferant iuuenes, optima legant in eo genere, quod meditantur ac moliuntur, exemplaria, atque ita quidem, vt vi mentis maximopere intenta circumspiciant artes ac decora, quibus excellentis poetae ingenium ac dignitas exsplendescit. Ita lectissimi faciebant iuuenes prouinciali scholae Portensi mecum adscripti. Quoties instabat examen sollemne, poetas lectitabant praeclaros, tum prisca, tum recentioris aevi, vt ingenium artemque imbiberent,  
carmi-

carminis, quo, quid humeri valeant, ostenderent; qui Odas audebant, Horatium ac recentioris aetatis lyricos poetas praestantiores; qui carmen heroicum in animo habebant, Ovidium, Virgilium, Lucanum, Statium, Claudianum, adiunctis recentioribus eo in genere clarissimis; qui Elegis facili Musa fufis plausum optabant, Ovidium inprimis, atque alios optimae notae, quos recentior vidit aetas, plurimi Lotichium ac Sabinum. Sic se gerendo Alumni Portenses materiam poeticam, ex ore Freytagii calamo exceptam, variis formis ita indutam exhibebant, ut a summo viro, atque hoc etiam in genere clarissimo, vel probarentur, vel laudarentur. Hoc institutum secuti, adolescentes quidam egregii, quos Torgauensis scholae non minus, quam Crucianae gubernaculis admotus, in disciplina habui, lectione sollerti atque idonea praeparati, viros se in hac arte praestiterunt.

Feliciori tamen successu carmen pangent, qui, antequam id scribant, poetas audiunt ex ore praeceptoris periti, non subita et festinante, sed stataria lectione ita tractandos, ut quae ad carminis exponendi naturam et indolem, imagines, numerum, variandi artem, ornatum et vim, ex tropis et figuris orientem, comparationes, in quibus summos se artifices poetae ostendunt, periodos, et qui occurrunt, graecismos, inprimis poetis tantum sollempnes, sublimitatem, audaciam felicem affectusque pertinent, explicet atque demonstret. Sed quae iam de stataria poetarum explicatione brevissimis diximus, ita nolumus accipi, ac si cursoriam sperneremus ac vituperaremus, admodum utilem, nec promerita laude fraudandam. Quis enim praeceptor prudens rerumque intelligens ita versandum putaverit in poetis explicandis, ut plures anni mensibus suis circumacti effluxerint, priusquam unum vel duo libros Aeneidos Virgilianae, vel Metamorphoseon, Tristiumue Ovidii absoluerit? Rem conficere poteris paucioribus pensis statariis; deinde poetam aliquem brevi tempore totum peruestigare. Nam eos tantummodo fines interpretatio poetarum stataria sibi propositos habeat, ut iuvenes animum discant advertere ad omnem artem, vim atque



pulchritudinem, variis in carminibus conspicuam, eamque a magistro breuissimis cursoria interpretatione moniti, conuertere in suos vsus, ac deinde in poetis breui mora domi absoluendis occupari. Sic ipse totam Aeneidem Virgilii vnus anni spatio scholis priuatis explanauit, nunc in Aeneide publicis lectionibus explicanda mediam inter statariam et cursoriam lectionem viam teneo.

Ab elegia cum primordia exercitationis poeticae capienda suafimus, id agendum esse praeceptori censemus, vt, priusquam discipulis materiam suppeditet poeticam, aliquos Ouidii libros, vel ex Heroidibus epistolis, quae sunt praestantissimae, vel ex Tristibus et epistolis ex Ponto, sollerti cura sic explicet, vt non modo respiciat, quae de stataria poetarum interpretatione generatim attigimus, sed ea inprimis inculcet, in quibus natua, nec arte operosius quaesita, carminis elegiaci pulchritudo cernitur. Quaedam hic dabit VOSSIVS, *Instit. poeticar.* Lib. III. p. 49 — 60. et SABINVS in aureola commentatione *de carminibus componendis*, quae adiuncta est eiusdem poematibus. Fuerunt quidem homines doctissimi, qui Ouidium multis nominibus reprehenderent, quos recenset MORHOFIVS, in *Polyhistore* p. m. 869 sequ. et FUNCCIVS, *de virili aetate latinae linguae* p. 263 sequ. Inprimis Quinctiliano displicuit Nasonis nimia dictionis vbertas, quam vocauit *lasciuiam*, *Instit. orat.* Lib. X, Cap. I. Sed saluus est Sulmonensis vates, et poetarum elegiacorum facile princeps, id quod ipse, suae sibi virtutis conscius, his verbis testatus est:

*Tantum se nobis elegi debere fatentur,  
Quantum Virgilio nobile debet opus.*

*Morhofius*, elegiae iustissimus peritissimusque aestimator, Ouidium censet *carmen elegiacum plane ad fastigium deduxisse, adeo, vt elegiarum pulchritudini vix quicquam addi etiam posse videatur.* Qui hunc poetam defenderunt iustisque laudibus ornauerunt, viros clarissimos reperies apud *Morhofium*

*hofium*

*hosi* in Polyhistore, et *Funccium*, in opere iam laudato. Ad vbertatem Ouidianam, quae modum excedere videtur, vel defendendam, vel excusandam, inprimis pertinet locus insignis GERHARDI IOANNIS VOSSII, *Institut. Poeticar.* Lib. II. p. 73. *Cum ingenium eius viri tale sit, ut paene modum humanae conditionis excedat; si quo peccat, eo peccat, quod, magnorum fluminum instar, interdum redundet. Quod si in eo vitium est, tot suis virtutibus satis compensat.*

Iam, qua potissimum ratione in materia versibus idonea praecptori versandum, et quo habitu indutam discipulis ab eo hanc esse supeditandam existimemus, dispiciendum erat, nisi hoc institutum chartae spatio latius pateret. Igitur, ne coniungenda disiungamus, Iuuenes commemorabimus ornatissimos, qui ad altiora Musarum castra transaturi, qua contentione, qua virtute in nostris militauerint, speciminibus publicis crastina luce ostendent.


I. CAROLVS FRIDERICVS FRITZSCHE, *Dresdensis*, choro Currentanorum I. Praefectus, Latii lingua differet *de animi magnitudine in tribuendis beneficiis conspicua.*

II. IOANNES GOTTLIEB HERRMANN, *Annaburgensis*, choro Currentanorum II. Praefectus, *malorum expertos promptius miseris succurrere*, lingua patria ostendet.

III. FRIDERICVS SAMVEL MOEHNERT, *Dresdensis*, Current. latine dicet *de prudentia famae inseruiendi.*

IV. AVGVSTVS LEBERECHT KARG, *Lausensis*, Alumnus, *de auaritia, turpissima et perniciosissima*, latinam orationem recitabit.

V. GOTTHELF GVILIELMVS GRÜNE, *Klitzschensis*, Extran. quam lingua vernacula concepit, oratione luculenta, *non minorem ex luxu et prodigientia, quam ex auaritia, pestem ad turpitudinem exoriri*, demonstrabit.



VI. IOANNES GOTTLIEB KIESLING, *Reichenauensis*, Current.  
*de prudentia in eligendo vitae genere* disputabit romano sermone.

Grati memorisque animi studium pro beneficiis in hac Mu-  
 farum sede et sibi tributis, et commilitonibus abitum parantibus,  
 IOANNES GOTTLIEB HERRMANN profitebitur.

Fausta quaeuis ac felicia Candidatis Academiae precabitur

VII. IOANNES ERNESTVS GOLDAMMER, *Altenhaynensis*, choro  
 Alumnorum primo Praefectus.

Cum virtus, praemiis atque honoribus destituta, plerumque mar-  
 ceat, his excitata vigeat; nihil mihi optatius erit, quam vt, quos ex  
 finu scholae iam dimittimus, honestissimi Adolescentes optimis artibus,  
 hoc est doctrina et virtute, laudem sibi semper comparent praemiisque  
 ornentur amplissimis, quorum magnam partem sibi tributam putabunt,  
 si VIRI ILLVSRES AC GENEROSISSIMI, EPHORVS SCHOLAE MA-  
 GNIFICVS ET SVMME VENERABILIS, LIBERALIVM DISCIPLI-  
 NARVM NVTRITORES ET PATRONI, PATRES CONSCRIPTI  
 AMPLISSIMI AC SPLENDIDISSIMI, SACERDOTES PLVRIMVM  
 REVERENDI, MAGISTRI SCHOLARVM CLARISSIMI, ET QVI-  
 CVNQVE SCHOLAS AMANT; precibus nostris hoc dederint, vt cras,  
*hora secunda pomeridiana*, mites proclivesque aures dicentibus accommo-  
 dent. Scribeb. in Schola Dresdensi Cruciana, d. XXI. April. c1o1o ccxcvi.



*Aesth. Nylle*